

**CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI,
Epistula a Congregatione Pro Doctrina Fidei missa
ad totius Catholicae Ecclesiae Episcopos aliosque
Ordinarios et Hierarchas interesse habentes:
de delictis gravioribus eidem Congregationi pro
Doctrina Fidei reservatis***

Ad exsequendam ecclesiasticam legem, quae in articulo 52 Constitutionis Apostolicae de Romana Curia enuntiat: «Delicta contra fidem necnon graviora delicta tum contra mores tum in sacramentorum celebratione commissa, quae ipsi delata fuerint, [Congregatio pro Doctrina Fidei] cognoscit atque, ubi opus fuerit, ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas ad normam iuris, sive communis sive proprii, procedit»¹, necesse erat in primis definire procedendi modum de delictis contra fidem: quod peractum fuit per normas, quarum inscriptio est *Agendi ratio in doctrinarum examine*, a Summo Pontifice Ioanne Paulo PP. II ratas atque confirmatas, simul articulis 28-29 *in forma specifica* approbatis².

Eodem fere tempore Congregatio pro Doctrina Fidei per Commissionem ad hoc ipsum institutam operam dabat diligenti canonum de delictis studio, sive *Codicis Iuris Canonici*, sive *Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium*, ad determinanda «graviora delicta tum contra mores tum in sacramentorum celebratio-ne», ad perficiendas quoque normas processuales speciales «ad canonicas sanctiones declarandas aut irrogandas», quia Instructio *Crimen sollicitationis* hucusque vigens, a Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii edita die 16 mensis martii anno 1962³, recognoscenda erat novis Codicibus canonicis promulgatis.

* 18.V.2001, en AAS 93 (2001), pp. 785-788.

1. IOANNES PAULUS PP. II, *Constitutio Apostolica Pastor bonus*, De Romana Curia, 28 iunii 1988, art. 52, in AAS 80 (1988) 874.

2. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, *Agendi ratio in doctrinarum examine*, 29 iunii 1997, in AAS 89 (1997) 830-835.

3. SUPREMA SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII, Instructio *Crimen sollicitationis*, Ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios «etiam Ritus Orientalis»: De modo procedendi in causis sollicitationis, 16 martii 1962, Typis Polyglottis Vaticanicis MCMLXII.

Attente perpensis votis et factis opportunis consultationibus, Commissionis opus tandem ad finem pervenit; Congregationis pro Doctrina Fidei Pares accuratius idem examinarunt, Summo Pontifici subiendo conclusiones circa determinationem graviorum delictorum et modum procedendi ad sanciones declarandas aut irrogandas, firma manente eiusdem Congregationis Apostolici Tribunalis exclusiva in hoc competentia. Quae omnia ab ipso Summo Pontifice adprobata, confirmata et promulgata sunt per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas, quarum initium sumit a verbis *Sacramentorum sanctitatis tutela*.

Graviora delicta tum in sacramentorum celebratione tum contra mores, Congregationi pro Doctrina Fidei reservata, sunt:

Delicta contra sanctitatem augustissimi Eucharistiae Sacrificii et sacramenti, videlicet:

1º abductio vel retentio in sacrilegum finem, aut abiectio consecratarum specierum⁴;

2º attentatio liturgicae eucharisticae Sacrificii actionis vel eiusdem simulatio⁵;

3º vetita eucharisticae Sacrificii concelebratio una cum ministris communitatum ecclesialium, qui successionem apostolicam non habent nec agnoscunt ordinationis sacerdotalis sacramentalem dignitatem⁶;

4º consecratio in sacrilegum finem alterius materiae sine altera in eucharistica celebratione, aut etiam utriusque extra eucharisticam celebracionem⁷;

Delicta contra sanctitatem sacramenti Paenitentiae, videlicet:

1º absolutio complicis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum⁸;

4. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1367; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1442. Cfr. et PONTIFICIUM CONSILIIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS, Responsio ad propositum dubium, 4 iunii 1999.

5. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1378 § 2 n. 1 et 1379; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1443.

6. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 908 et 1365; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 702 et 1440.

7. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 927.

8. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1378 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1457.

2º sollicitatio in actu vel occasione vel praetextu confessionis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, si ad peccandum cum ipso confessario dirigitur⁹;

3º violatio directa sigilli sacramentalis¹⁰;

Delictum contra mores, videlicet: delictum contra sextum Decalogi praeceptum cum minore infra aetatem duodeviginti annorum a clero commissum.

Haec tantum, quae supra indicantur delicta cum sua definitione, Congregationis pro Doctrina Fidei Tribunali Apostolico reservantur.

Quoties Ordinarius vel Hierarcha notitiam saltem verisimilem habeat de delicto reservato, investigatione praevia peracta, eam significet Congregationi pro Doctrina Fidei quae, nisi ob peculiaria rerum adiuncta causam sibi advocet, Ordinarium vel Hierarcham per proprium Tribunal ad ulteriora procedere iubet oportunas normas tradendo; ius appellandi contra sententiam primi gradus, sive ex parte rei vel eius Patroni sive ex parte Promotoris Iustitiae, valide unice manet tantummodo ad Supremum Tribunal eiusdem Congregationis.

Notandum est actionem criminalem de delictis Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis praescriptione extingui decennio¹¹. Praescriptio decurrit ad normam iuris universalis et communis¹²; in delicto autem cum minore a clero patrato praescriptio decurrere incipit a die quo minor duodevicesimum aetatis annum explevit.

In Tribunalibus apud Ordinarios vel Hierarchas constitutis, hisce pro causis munera Iudicis, Promotoris Iustitiae, Notarii atque Patroni tantummodo sacerdotes valide explere possunt. Instantia in Tribunali quovis modo finita, omnia acta causae ad Congregationem pro Doctrina Fidei ex officio quam primum transmittantur.

Tribunalia omnia Ecclesiae Latinae et Ecclesiarum Orientalium Catholicarum tenentur canones de delictis et poenis necnon de processu poenali utriusque Codicis respective observare una cum normis specialibus a Congre-

9. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1387; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1458.

10. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1388 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1456 § 1.

11. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1362 § 1 n. 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1152 § 2 n. 1.

12. Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 1362 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 1152 § 3.

gatione pro Doctrina Fidei pro singulo casu tradendis et omnino ad exsecutio-
nem mandandis.

Huiusmodi causae secreto pontificio subiectae sunt.

Per hanc Epistulam, de mandato Summi Pontificis omnibus Ecclesiae Catholicae Episcopis, Superioribus Generalibus institutorum religiosorum clericalium iuris pontificii et societatum vitae apostolicae clericalium iuris pontificii aliisque Ordinariis et Hierarchis interesse habentibus missam, in votis est ut non solum graviora delicta omnino vitentur, sed praesertim ad clericorum et fidelium sanctitatem etiam per necessarias sanctiones procurandam sollicita pastoralis cura ab Ordinariis et Hierarchis habeatur.

Romae, e Sede Congregationis pro Doctrina Fidei,
die 18 maii 2001.

+ JOSEPHUS Card. RATZINGER
Praefectus

+ Tharsicius BERTONE, S.D.B.
archiep. em. Vercellensis
a Secretis